II.—MISCELLANEA GRAECA.

(ALTERA SERIES.)

1. DE ARTEMIDIS VERILOQUIO.

Fere omnes Graecorum dii deaeque initio, antequam reliquis Graecis noti essent, singulis locis praesidebant. Veluti Athena Athenarum, Artemis Arcadiae dea erat. Itaque sicut Athena ab Athenis, ita Artemis a substantivo, quod graece ἄρκος est, nomen duxisse videtur, nota autem est Arcadum et ἄρκων cognatio, cfr. quae de hac re disputavit Odofredus Müller (Prolegomena zu einer wissenschaftlichen Mythologie, p. 73). Comparatis enim tribus particulae temporalis formis ὅτε et ὅτα et ὅκα cum duplici nominis huius deae specie, quae est Ἄρτεμις et Ἄρταμις, tertiam formam Ἄρκαμις coniciendo assequeris. Genuinas quidem formas ὅτε et ὅκα, Ἄρτεμις et Ἄρκαμις fuisse verisimile est, ὅτα et Ἄρταμις autem illis permixtis ortas esse suspicor, cfr. quae de litterarum τ et κ et π vicissitudine disseruerunt Carolus Brugmann in Grammatica graeca editionis prioris p. 33, editionis posterioris p. 54 et Ricardus Meister, Berliner Philologische Wochenschrift, 1892, p. 516.

2. DE HELENAE VERILOQUIO.

Illis temporibus, cum carminum homericorum principia conderentur, non Peloponnesum sed Thessaliam Helenae patriam fuisse probari potest Iliadis libri tertii versu 75. Illa Iliadis parte, ad quam hic versus pertinet, antiquissimum exemplum expressum esse videtur. Quaecumque enim inter libros primum et undecimum inserta sunt, ab antiquo Iliadis contextu aliena sunt. Liber autem tertius et ea, quae proxime praecedunt, ex carminis cuiusdam, quo primus Graecorum adventus narrabatur, imitatione orta sunt. An non describitur prima Graecorum notitia quae ad Troianos pervenit, versibus libri secundi 798 et 799?

Ἦ μὲν δὴ μάλα πολλὰ μάχας εἰσήλυθον ἀνδρῶν,
ἀλλ' οὔ πω τοιόνδε τοσόνδε τε λαὸν ὄπωπα.

Quid quod Helena, quae ex muro hostes miratur, principales duces Graecorum Priamo enumerat, quasi Troianis nunquam illos

cognoscendi occasio fuerit. Ne Menelai quidem et Paridis certamen in principium sed potius in finem belli convenit. Huic parti, qua nonnulli versus antiquissimi conservati esse videntur, haec Paridis verba inserta sunt (Γ 71–75):

Ὁππότερος δέ κε νικήσῃ κρείσσων τε γένηται,
κτήμαθ' ἑλὼν εὖ πάντα γυναῖκά τε οἴκαδ' ἀγέσθω·
οἱ δ' ἄλλοι φιλότητα καὶ ὅρκια πιστὰ ταμόντες
ναίοιτε Τροίην ἐριβώλακα, τοὶ δὲ νεέσθων
Ἄργος ἐς ἱππόβοτον καὶ Ἀχαιίδα καλλιγύναικα.

Commentariolorum homericorum scriptores, qui nunc sunt, ultimo versu Peloponnesum et reliquam Graeciam dicta esse volunt. At "reliquam" illud furtim illatum est. Praeterea illius versus duae imitationes in Iliade exstant, quae sunt B 683:

Οἵ τ' εἶχον Φθίην ἠδ' Ἑλλάδα καλλιγύναικα,

et I 447:

Οἷον ὅτε πρῶτον λίπον Ἑλλάδα καλλιγύναικα.

Ex quibus apparet poëtas homericos Achaidem pulchrarum mulierum patriam ita intellexisse, ut Hellas thessalica esset. Denique non licet neglegere quattuor versus Odysseae (α 344, δ 726, δ 816, ο 80) ubi quater recurrunt verba Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος. Videlicet Hellas et Argos vel Achais et Argos sollemnis appellatio earum, quas Achivi incolebant, terrarum erat, et omnis interpretandi ars et ratio everteretur, si eadem verba in Odyssea et Iliadis libris secundo et nono Peloponnesum et Helladem thessalicam, in Iliadis libro tertio Peloponnesum et reliquam Graeciam significarent. Itaque Achais, pulchrarum mulierum patria, Achaia thessalica est. Constat autem Paridem Achaiam pulchrarum mulierum patriam appellasse τῷ ἔρωτι Ἑλένης. Thessalicae originis igitur Helena erat. Quae ratiocinatio si cui non placeat, concedamus, quamvis absurdum sit, Achaidem reliquam Graeciam esse. Sed quid proficitur? Ergo Peloponnesus equorum pascuum, reliqua Graecia Helenae patria appellatur. Sed mittamus ioculos, cum iam satis superque constet Helladis et Argorum nomina antiquissimam appellationem terrarum Achaicarum esse. Patet vero genuina verba, quae sunt Hellas et Argos Odyssea et Iliadis libris secundo et nono conservari, novatam autem esse finium Achaicorum appellationem in Iliadis libro tertio. Id, quod metri causa factum esse videtur, nam antiquissimam versus Γ 75 formam

Ἄργος ἐς ἱππόβοτον καὶ Ἑλλάδα καλλιγύναικα

fuisse suspicor. Hexametrum enim κατ' ἐνόπλιον antiquissimum versuum dactylicorum, qui sex pedes continent, exemplum esse mihi propter Prosodiorum graecorum rem metricam, quam alio loco explicabo, constat et ipsius Homeri arte probari potest. Nam eorum versuum, qui propter locum, quem habent, vel propter verba sollemnia, quae continent, insignes sunt, maior numerus quam pro hexametrorum κατ' ἐνόπλιον summa hanc metri formam exhibent. Exempli gratia primus Iliadis versus

Μῆνιν ἄειδε, θεά, Πηληιάδεω Ἀχιλῆος

hexametri κατ' ἐνόπλιον rythmo insignis est, et antiquissimae, quam coniectura assequimur, Iliadis clausula ex hexametro κατ' ἐνόπλιον et versu quodam quinque dactylis et caesura penthemimere conspicuo—haec forma hexametro κατ' ἐνόπλιον aequalis esse Prosodiorum re metrica demonstratur—composita est:

Σ 241 : Ἠέλιος μὲν ἔδυ, παύσαντο δὲ δῖοι Ἀχαιοὶ
φυλόπιδος κρατερῆς καὶ ὁμοιίοο πτολέμοιο.

Denique simillimus erat eius, quam Iliadis libri tertii poeta imitatus est, carminis exitus :

Γ 446 : Ὥς σεο νῦν ἔραμαι καί με γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ.
ἦ ῥα, καὶ ἦρχε λέχοσδε κιών· ἅμα δ' εἵπετ' ἄκοιτις.

Itaque, cum Helladis civis Helena fuerit, quis non intelleget etymologiae arte et ratione confisus Helenae et Hellorum Hellenumque cognationem? Equidem confidenter conicio Helenam deae hellenicae, sive Παλλάδος (Virginis) Ἑλενῆς, sive Κόρης (Puellae) Ἑλενῆς, sive Ἥρας (Dominae) Ἑλενῆς, appellationem fuisse. Ἑλενός enim idem fere adiectivum est atque Ἑλλός (= Σελλός), quod ex Ἑλνός ortum est, substantivum autem nomen βαρύτονον esse oportet. Cfr. Ἀθήνης nomen proprium, quod ab adiectivo Ἀθηνός derivatum est.

3. De Hellae Veriloquio.

Uno veriloquio duarum heroinarum indolem explicavimus, nam Hellam olim Helenae gemellae instar fuisse apparet. Cuius fabula a Minyis ex Thessalia in Boeotiam lata est. Neque intellego qua ratione ducti nonnulli viri docti Hellae nomen ex Hellesponti appellatione ortum esse dicant. Sane fieri potuit, ut Romulus a Roma nomen duceret; sed oportet, ut ei, qui Hellam ab Hellae mari nomen accepisse volunt, etiam Petrum propter Petropolim, Alexandrum propter Alexandriam appellatum esse probent.

Praeterea non intellego cur iidem primas partes Phrixo, secundas Hellae dent. Φρίξος substantivum enim e φριξός adiectivo, quod per "crispus" interpretari licet, factum esse et principio ipsius arietis appellatio fuisse videtur.

Hella dea illarum una est, quae sicut Helena et Iphigenia orientem versus vectae sunt. Ipsa quidem non redit, sed Medea Solis alia filia reducitur, quae "Medica" appellata est sicut Hella "hellenica." Hoc, quod dico, veriloquium iam Theogoniae hesiodeae poetae (v. 1001) notum fuisse facile intellectu est, et quoniam Cimmerii in Odyssea, Assyrii in Iliade reperiuntur, cur negemus Medos in Argonautarum fabula locum habuisse? Hellae vero mare illa, qua haec fabula orta est, aetate non fretum illud, quo Asia et Europa dividuntur, esse potuit, nam Ἕλλης πόντος non Ἕλλης εὔριπος nominatur et ab Homero ἀπείρων appellatur. Quid ergo erat Ἕλλης πόντος nisi illud mare, quod ab Hellade thessalica, cui regioni Helena et Hella, deae hellenicae, praesidebant, ad orientem spectat?

4. De Agamemnonis Patria.

Thessalicae originis fuisse principales reges, qui antiquissimis carminibus de Troia capta compositis celebrantur, probari potest. Quod ut demonstremus, segregemus eos, qui ab Ionibus et Doribus additi sunt. Dores enim in Iliadem Idomeneum introduxisse non est cur dicam, quia omnibus constat. Iones autem Nestorem et Diomedem et forsitan Ulixem adiunxerunt. Nestor quidem Colophoniorum regum proavus quin ad ionicam stirpem pertineat, dubitari nequit. Diomedem autem qua ratione ducti ionici poetae in poësin homericam intulissent Wilamowitz, in Euripidis Hercules, I, pag. 280, docuit.[1] Ulixes utrum ex ionica an aeolica gente oriundus fuerit nescimus, sed constat earum rerum, quas fecit et passus est, gravissimam et antiquissimam partem non bellum troianum sed errores et reditum esse. Itaque Ulixis, quem cum Sindbadio fabuloso illo nauta arabo comparare licet, mores et res gestas celeberrima fuisse, priusquam belli troiani heroibus adderetur, facile est ad coniciendum.

Praeter hos Graecorum homericorum principes Agamemno et Menelaus, Achilles et Aiax Telamonius sunt. Helenam heroinam

[1] "Der Kampf um Ilios war durch das äolische Epos geschaffen. Schon als die Ionier dieses übernahmen, liess der Vorrang der äolischen Helden es unstatthaft erscheinen, ihnen die vornehmsten Ioniens an die Seite zu stellen. Man führte also ihre 'Epigonen' ein: nicht Tydeus sondern Diomedes."

adicere possumus, de qua supra egi. Agamemno quidem Argis regnabat, at Argos Diomedes tenebat, itaque Agamemno Mycenarum rex fuisse dicitur, at Amyclis sepultus est. Iam vides neque constantiam neque rationem inesse in eis, quae de Agamemnone narrantur, qui veluti rex regno spoliatus erraticam vitam per Peloponnesum degit. Menelaus quoque peregrinus erat Spartae, cuius regnum Tyndaridae habebant; Tyndaridarum non Atridarum affinis Echemus erat Arcadum rex, qui Hyllum Dorem vicit: Tyndaridae, non Atridae in Lacedaemoniorum finibus profundas radices iecerant. Quae cum ita sint, ubi Agamemnonis et Menelai patriam fuisse statuemus? Sane Argorum rex erat Agamemno neque tamen peloponnesiacorum sed pelasgicorum. Quodsi ei poëtae, qui hanc, quam manibus versamus, Iliadem composuerunt, Argos peloponnesiacos Agamemnonis patriam esse voluerunt, tamen antiquis quibusdam versibus certa vestigia conservantur, quibus ad Argos pelasgicos ducimur. In Argis enim "sitientibus" Peloponnesi impastos esse equos non nego, sed "Argorum ab equis depastorum" appellationem magis ad Argos pelasgicos quadrare quis est, qui non videat? Praeterea ter scriptum est in Odyssea (α 344, δ 726, δ 816) τοῦ κλέος εὐρὺ καθ' Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος, semel (ο 80) εἰ δ' ἐθέλεις τραφθῆναι ἀν' Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος neque ex rerum conexu μέσος adiectivum explicationem habet. Claudicaret enim sententia, si μέσον Ἄργος per "medius Peloponnesus" interpretaremur. Cui obscuritati lux affertur, si illud Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος antiquius esse statuimus quam illam qua nunc comprehenditur, verborum copulationem: videlicet "Hellas et Argos" antiqua Achaiae thessalicae appellatio, a poëtis indita, fuit. Recte igitur Argi "medii" appellantur, quod medium locum Thessaliae tenent. Agamemnonem vero, ὃς μέγα πάντων Ἀργείων κρατέει καί οἱ πείθονται Ἀχαιοί (Α 79), Argi pelasgici regem et cunctorum Achivorum thessalicorum ducem fuisse apparet.

Achillem Thessaliae civem fuisse satis constat. Aiax autem in recentioribus Iliadis partibus Salaminius esse fertur. Quod qua ratione factum esset Wilamowitz Quaestionum homericarum, p. 244 explicavit. Itaque Aiacem, Achillis socium et simulacrum, antiquissimis temporibus eiusdem patriae participem fuisse conicere licet. Etiam eorum, qui secundas partes in Iliade agunt, multi Thessalici generis sunt, velut Philoctetes et Protesilaus; Antiphus quoque et Phidippus, Coorum duces, thessalicae originis sunt. Inprimis Eurypylus, Euaemonis filius, nominandus est, qui Troia

rediens ventis Patras in urbem Achaiae peloponnesiacae latus est, ubi Dionysi Aesymnetae sacra condidisse dicitur. Quae fabula ita explicari potest, ut thessalicam gentem Patras transmigravisse statuamus. Thessalicos quidem colonos Achaiam peloponnesiacam occupavisse constat, nam Achaei e Thessalia originem habebant; sed Eurypylus propter eas, quae de patre eius Euaemone narrantur, fabulas non achaici sed aeolici generis fuisse existimandus est. Itaque verisimile est non solum Achivos sed etiam Aeoles quosdam e Thessalia in Peloponnesum venisse. Simillimus fuisse videtur Eurypylus ille Oleni heros, cui huius urbis cives priores partes deferebant narrantes eum cum Hercule troianam terram visisse.

Notabilis vero Eurypyli et Orestis similitudo est. Uterque enim in insaniam incidit propter nefas, Apollinis oraculum adit,[1] sanatur, postquam in terram venit, ubi Artemidi deae humana hostia fiunt. Orestes autem Agamemnonis filius, temporum ordine miro modo perturbato, Achivorum patria expulsorum instar esse videtur. Quos ad Parnassum substitisse et cum Phociis foedus fecisse ex eis, quae de Orestis apud Strophium mansione et de Orestis et Pyladae amicitia narrantur, intellegitur. Equidem nescio an Gephyraei, qui per aliquod tempus in Boeotia commorati ab Atheniensibus recepti sunt, Achivorum palantium pars fuerint. Nam Achaeae, quam Athenienses eandem atque Demetrem esse credebant, sacra faciebant.

Denique ipse Agamemno in Peloponnesum a poetis translatus est. Cuius rei causa ea fuisse videtur, quod Achivi ex Thessalia expulsi in Peloponnesum transmigraverunt. Achaei enim Graecorum doricorum primum agmen fuisse et prius quam ipsi Dores in Thessaliam et Peloponnesum venisse videntur. Neque est, cur negemus Achaeos per aliquot temporum spatia Peloponnesi summam imperii habuisse. Nec tamen illorum Achaeorum, Dorium quasi ducum, rex erat Agamemno, qui non in Argis sitientibus sed in Argis ab equis depastis regnavit.

5. De Achivis et Hellenibus Homericis.

Graeci in duas partes indole diversas divisi erant. Etenim quidquid grande et magnum ea gens fecit, eius auctores Iones aut Aeoles esse solebant, e reliquis autem ei magis animum mentemque excoluerunt, qui maiorem usum cum illis haberent, cum ei, qui

[1] Hanc, quae de Eurypylo fertur, fabulam Vergilio notam fuisse ex Aeneidis II versu 114 colligere licet.

remotiores essent, veluti Aetoli, Acarnanes, Epirotae, in barbarorum fere conditione permanerent. Alteros, Dores scilicet et Pseudodores—hac appellatione Phocios, Locros, Aenianes, Aetolos, Epirotas, Acarnanes, Eleos, Achaeos notabo—Graecorum doricorum nomine comprehendam, alteros, Udalrico de Wilamowitz auctore, Graecos hellenicos vocabo. Quarum partium differentia in sermonis quoque proprietate dilucet. Quam rem ut probem, unum exemplum proferam: namque qui doricae aut pseudodoricae stirpis sunt, articuli numerum plurativum *τοί* et *ταί* esse voluerunt, cum Iones, Attici, Aeoles asiatici, Aeoles thessalici, Arcades, Cyprii *οἱ* et *αἱ* formas usurparent. Quae lex non infringitur homericis illis formis *τοί* et *ταί*, quippe quae non articuli sed pronominis demonstrativi et relativi vice fungantur. Boeoti, quibus formae *τ* littera insignes familiares sunt, ex Aeolibus cum Pseudodoribus mixtis orti sunt; Aeoles thessalici, qui tantum prominebant temporibus fabulosae vetustatis, postea a Thessalis pseudodoricis oppressi iacebant; Arcades, a Doribus et Pseudodoribus cincti tamquam muro, reliquorum Graecorum hellenicorum processum aequare nequibant. Haec bipartitio probabilior est quam illa antiqua, qua Iones a reliquis Graecis separabantur, nam id quod ionico sermoni peculiare est, alpha longum in eta mutatum et digamma perditum, conspicuum quidem est neque tamen nationes graecas distinguendi norma esse potest, quia unius dialecti finibus continetur.

Eduardus quidem Meyer scrupulum nobis iniecit, cum graeci sermonis varietatem ea perturbatione, cuius pars est Dorium migratio, antiquiorem non esse pronuntiaret in Philologi nova serie, in tomi II paginis 268–75,[1] et in tomi III paginis 479–92.[2]

[1] Pag. 274: "Die Frage nach dem Wohnsitz der Ionier vor der Wanderung ist gegenstandslos: vorher hat es eben in dem Sinne, in welchem wir den Namen allein kennen, keine Ionier gegeben. Auch der ionische Dialekt ist erst in Ionien entstanden; denn die Heimath eines Lautwandels (in diesem Falle die Umwandlung des *ᾱ* in offenes *ε̄* und der Verlust des vau) ist da zu suchen, wo derselbe am stärksten und consequentesten auftritt. Von Ionien hat sich die Spracherscheinung auf die Inseln und schwächer und durch Gegenströmungen gehemmt nach Attika verbreitet. Dies ganze Gebiet, das Mittelstück des ägäischen Meeres, bildete sprachlich, commerciell, culturell eine eng zusammengehörige Gruppe, deren Einheit in der grossen Messe von Delos ihren deutlichsten Ausdruck fand."

[2] Pag. 482: "Wo sind denn die Ingaevonen und Istaevonen, die Markomannen und Cherusker zur Zeit der Völkerwanderung, wo die Franken, Alamannen, Sachsen, Bajuvaren, Gothen in der Zeit des Cäsar und Tacitus? Und wenn sich ja irgendwo Spuren von ihnen finden, so erscheinen sie als

Sane mihi non displicent exempla, quae ex Germanorum historia protulit, ut probaret magna illa populorum septemtrionalium migratione antiquum Germanorum ordinem et distributionem perturbata et novas nationes conditas esse. At Goti, Franci, Anglosaxones, reliqui quamquam ex migratione gentium orti sunt neque ex una veterum Germanorum civitate originem trahunt, tamen antiquioris rerum ordinis vestigia aperte prae se ferunt; veluti Goti, qui olim mare balticum accolebant, etiam tum, cum Italiam et Hispaniam obtinebant, certis sermonis proprietatibus cum Scandinavis cohaerebant, Anglosaxonum autem et earum nationum, quae peninsulam cimbricam incolunt, consanguinitas usque ad hunc diem manifesta esse non desiit. Corruit vero tota illa Meyeri coniectura, si dialectorum graecarum condicionem terrarum ordine describimus. Quomodo enim Aeolum thessalicorum, Boeotorum, Lesbiorum sermonis similitudo explicatur, nisi has nationes ex una patria provenisse sumimus? Praeterea nullo modo probari potest terrarum situ et natura factum esse, ut Graeci asiani in tres partes, Aeoles, Iones, Dores, discederent, praesertim cum sciamus Aeoles et Dores asianos litterarum formas ionicas sibi assumpsisse; ex hoc exemplo elucet, quae futura fuerit linguae graecae partitio, nisi sermonis varietas ex ea aetate, qua alias sedes Graeci tenebant, descenderet. Accedit, quod Arcadum linguae genus non solum cum dialectis doricis et pseudodoricis, quae vicinae sunt, sed etiam cum ionicis et aeolicis, quae longo terrarum spatio distant, manifestam similitudinem habet. Quae res quomodo explicari possit, Meyeri doctrina probata, non intellego.

Graeci hellenici priores eam regionem, quae nunc Graecia appellatur, occupaverunt. Qui cum Boeotiam capere non possent, quia veteres Thebarum cives eis fortiter resistebant, fretum Naupactoum videntur transgressi esse, ut Peloponnesum expugnarent, et tum demum Atticam invasisse. Peloponnesii enim, ex quibus Arcades originem ducunt, Aeoles cum Ionibus conectunt. Quorum quidem sermo, qui ex lapidibus cognoscitur, magis ad aeolicarum quam ad ionicarum dialectorum similitudinem accedit, sed ipsi propriore cognationis vinculo cum Atticis et Ionibus cohaerere videntur. Peloponnesiacae enim stirpis Iones sunt, qui postea

---

kleine Volksstämme ohne grössere Bedeutung, genau wie wir von den Ioniern angenommen haben. Das gleiche lehrt die Geschichte der kanaanäischen und noch mehr der arabischen Stämme von den ältesten Zeiten bis auf den heutigen Tag."

insulas et oras maris aegei incoluerunt. Qui cum maturius quam ceteri graeci ad perfectiorem cultum et humanitatem properarent, tantopere linguam suam recoxerunt, ut multum ab antiquo sermonis hellenici exemplo discederet. Attici autem novarum illarum formarum magnam partem receperunt.

Posteriores apparuerunt Graeci dorici. Quorum adventus magnam illam perturbationem effecit, cuius ultima pars migrationis doricae nomine nota est. Hac nationum semibarbararum invasione cultus Graecorum minutus et in aliquibus regionibus fere recisus est, sed eadem Graecorum genti vires novae et recentes infusae sunt, ita ut Hercules ille fortis et rudis Graecorum doricorum apta imago esse videatur.

Achaeos Graecorum doricorum partem fuisse probari potest. Achaeorum enim nomen tribus terrae partibus impressum est Achaiae phthioticae, Achaiae peloponnesiacae, Achaiae italicae. Ingeniose autem Eduardus Meyer, in Philologi nova serie, tomi II pagina 274, demonstravit Achaeos thessalicos, peloponnesiacos, italicos unius generis fuisse, cum doceret Italiam Magnam Helladem non appellatam esse, ut ipsa Graecia et coloniae italicae Graecorum distinguerentur, sed propter Helladem phthioticam Achaeorum peloponnesiacorum et italicorum patriam. Helladis enim nomine aut Hellas thessalica aut omnes, quas Graeci tenebant, regiones, nunquam Graecia appellata est.[1] Sequitur ergo, ut Achaei thessalici, peloponnesiaci, italici eiusdem originis fuerint. Achaeos autem peloponnesiacos et italicos et propter sermonem et propter indolem Graecis doricis adnumerandos esse Wilamowitz, Euripidis Hercules, pag. 273, pronuntiavit.[2] De Achaiae

[1] Meyer dicit l. l. in adnotatione: "Ich weiss nicht, ob man schon bemerkt hat, dass diess von den Achäern besetzte Gebiet in Unteritalien seinen Namen das grosse Hellas nicht führt im Gegensatz zu dem eigentlichen Griechenland auf der Balkan-halbinsel—das wäre sachlich absurd und sprachlich unmöglich, da der Name Hellas in der classischen Zeit niemals diesen beschränkten Sinn hat, sondern alles Hellenenland von Massalia bis zum Phasis bezeichnet—sondern im Gegensatz zu der Urheimat der Achäer, dem thessalischen Hellas. Damit verglichen ist Unteritalien allerdings das grosse Hellas. Zugleich lernen wir dadurch, dass in der That die Namen Achäer und Hellas untrennbar zusammengehören; wie jener in Ilias und Odyssee auf alle griechischen Stämme ausgedehnt wird, ist offenbar auch Hellas und Hellenen durch das Epos zur Gesammtbezeichnung der Nation geworden."

[2] "Kroton, Sybaris, Metapont sind allerdings eines Stammes mit den Bewohnern der Küste von Pallene bis Dyme. Darf man aber diese für reine vordorische Bevölkerung halten? Ihre Sprache, so wenig sie auch bekannt

phthioticae sermone non constat, sed suspicor, sicut Thessalorum, qui Graeci dorici erant, sermonis proprietas periit, ita Achaeorum quoque linguam in illa terra oblitteratam esse. Itaque Achaei videntur cum reliquis Graecis doricis Graeciam invasisse, deinde aliquamdiu Phthiotidem incoluisse, tum in Achaiam peloponnesiacam transmigravisse, denique colonias in Magnam Helladem, quae perperam a Romanis Magna Graecia nominata est, deduxisse.

Haec de Achaeis historia docet; alia tradit Homerus, qui Achivorum nomine omnes Graecos comprehendit. Sed quis eorum, qui hodie antiquitatis studio sedant, credat illis temporibus Achaeos totius Graeciae imperium habuisse, quis ignoret fabulosa esse ea, quae Homerus de magna illa omnium Graecorum expeditione troiana narret? Confer exempli gratia quae Robertus Pöhlmann dicit in Iwani Müller Antiquitatum Classicarum Epitoma.[1] Itaque cum Homerus omnes Graecos Achivos nominet, praesertim autem eos, qui Phthiotidem incolebant Achilli subiectos (Iliadis B 685), facile mihi videtur conicere belli troiani socios graecos olim solos Achivos phthioticos fuisse, postea, cum aliarum nationum regum laudes cum illa expeditione a poetis conecterentur, sicut fieri solet, Achivorum nomen omnibus datum esse, qui rerum in troica terra gestarum participes essent. Neque alio modo Minyarum nomen in Argonautarum fabula ita valere coepit, ut omnibus Iasonis comitibus attribueretur.

Venio ad Hellenes, de quibus in Iliadis libro secundo vv. 681–85 haec dicta sunt:

Νῦν αὖ τοὺς ὅσσοι τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἔναιον,
οἵ τ᾽ Ἄλον οἵ τ᾽ Ἀλόπην οἵ τε Τρηχῖνα νέμοντο,
οἵ τ᾽ εἶχον Φθίην ἠδ᾽ Ἑλλάδα καλλιγύναικα,
Μυρμιδόνες δ᾽ ἐκαλεῦντο καὶ Ἕλληνες καὶ Ἀχαιοί,
τῶν αὖ πεντήκοντα νεῶν ἔεν ἀρχὸς Ἀχιλλεύς.

Myrmidones Achillis milites fuisse constat, neque tamen ulla natio nota est, cui haec appellatio propria fuerit, neque Myrmidonum

---

ist, zeigt am ehesten mit den nordgriechischen Mundarten, keineswegs mit dem Arkadischen oder Ionischen Verwandtschaft. Die geistige Bedeutung der Achäer ist um keinen Gran höher als die der anderen Einwanderer."

[1] Tom. III, pag. 367: "Das achäische Argos ist, wie die ganze heroische Staatenwelt, für uns nichts als ein leeres Phantom trotz des Wustes scheinbarer Überlieferung, welchen genealogische Mache und pseudohistorische Spekulation aufgehäuft haben. Das Vorbild des homerischen Argos ist kein anderes als das dorische, das uns eben in den Anfängen des beglaubigten hellenischen Geschichte als der mächtigste Staat im Peloponnes entgegentritt."

nomen in alia regione apparet. Nam Myrmidones Aeginenses propter falsum grammaticorum veriloquium fictos esse iam dudum constat et nuper ab Udalrico de Wilamowitz novis rationibus confirmatum est. Equidem Myrmidonum etymologiam ut reperirem, ad Mormo potius quam ad μύρμηκας animum adverterem. Mormo enim substantivum ipsa forma Gorgus nomini comparatur. Mormo et Gorgo, quae inter antiquissimos Graecorum deos numerandae sunt, eiusdem originis fuisse videntur, quamquam posterioribus temporibus altera sororum, quoniam in Athenae familiaritatem intravit, alteram nobilitate praecurrere videbatur.

Hellenum et Achivorum gentem eandem fuisse ego negaverim. Duas enim nationes Homeri aetate Achaiam thessalicam habitasse constat, nam Achivi, qui sicut Thessali Graecorum doricorum pars erant, in Aeoles dominationem habuisse existimandi sunt Quodsi duarum nationum in Achaia thessalica nomina comparent, alterum Graecorum doricorum alterum Graecorum hellenicorum fuisse verisimile est. Accedit quod Hellenum et Achivorum appellationes in Achaia thessalica concurrunt, discedunt alibi. Achivi enim in Achaia thessalica, peloponnesiaca, italica, Hellenes in Achaia thessalica, in Epiro, in Euboea reperiuntur. In Epiro quidem circa Dodonam Σελλοί vel Ἑλλοί sedem ac domicilium habebant, quos Hellenum consanguineos fuisse veriloquio et Achillis precibus (Ilias Π 233 sqq.) declaratur, quibus ita deum patrium alloquitur:

Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε, Πελασγικέ, τηλόθι ναίων,
Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου· ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ
σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι.

Hellopiae autem appellatione, quae ab Hellenum nomine derivata est, non solum Epiri sed etiam Euboeae pars significabatur.

Graeci igitur lesbiaci illa aetate, qua fabula troiana exculta est, in tres partes discedebant, scilicet in Aeoles, qui primi insulam coluerunt, quorum heros erat Macar, et Achivos dorici generis, quorum heros erat Agamemno, et Hellenes aeolici generis Achivis subditos. Homericorum autem carminum poetas non Achivos sed rhapsodas vel bardos hellenicos, qui a Penthilidis Agamemnonis posteris mercedem acciperent, fuisse consentaneum est. Quis enim credat poesis homericae conditores Graecos doricos fuisse?

Hellenici autem poëtae, Agamemnonis cantores, simul suum heroem Achillem in fabulam troianam introduxerunt. Achillem

enim Hellenem fuisse precibus eius, quibus Iovem ab Hellis cultum alloquitur, manifestum est. Sane Molossorum reges ex Achille gentis suae originem ducebant, sed facile intellectu est, qua in re nisi sint, cum talia dicerent. Nam Molossi, natio pseudodorica, illas regiones occupaverunt, quae olim Hellorum erant. Itaque illos, cum gentis suae originem subtexerent Achillis precibus, quas supra laudavi, confisos esse apparet.

FRIDERICUS HANSSEN.

Scripsi Santiagine Chilenorum, mense augusto anni 1892.